10.

D. D.

DISSERTATIO HISTORICA
DE

HOLMGARDIA,

Cujus
PARTEM TERTIAM,
CONSENTIENTE AMPLISSIMO SENATU PHILOS.
IN REGIA ACADEMIA ABOËNSI,
PUBLICO EXAMINI SUBJICIUNT

JOHANNES BILMARK,
FACULT. PHIL. ADJUNCTUS,
ET
JONAS STRENG,
NYLANDUS.

DIE V. DECEMBRIS ANNI MDCCLIX.
L. H. Q. A. M. C.

ABOÆ, Impressit DIRECT. & TYPOGR. Reg. Magn. Duc. Finland. JACOB MERCKELL.

S:Æ R:Æ M:TIS

SUMMÆ FIDEI VIRO,

ILLUSTRISSIMO atq; EXCELLENTISSIMO

HEROI ac LIBERO BARONI,

Dn. CAROLO LAGERBERG,

REGIS Regnique Svio. Gothici SENATORI,

nec non

Regiorum Ordinum EQUITI ac COM-
MENDATORI,

MÆCENATI SUMMO.

REſpiciens nuper ſedes Aſtræa relictas,
In terris cernit jusque piumque coli;
Ut

Ut quoque conſtruerent iterum ſibi templa Triones;
Viſa Deum grandi res ea mira choro.
Mittitur ad gelidas igitur Cyllenius oras,
Quærat ut, iſta ſalus reddita cujus ope?
Eſt HEROS, retulit, Svecis qui hæc commoda præſtat,
Quod Themis optavit, jam Sua cura facit.
Nempe ut Laurigero nomen de Monte recepit,
Hoc Duce, ſic lauros nunc gerit alma fides.
Jamque probæ ſua jura tenent, Hoc Vindice, leges,
Debitus & recto conſtat ubique decor.
Cedat Ariſtides, cedat prudensque Lycurgus,
Jus & fas ab Eo diſcat & ipſe Solon.
Dixerat. Adplauſit Divum mox integer ordo;
Faſſus at hæc meritis inferiora Suis.
Noſceris his, TE, CELSE HEROS, ſuffragia Divum
Tangunt; TE civis quilibet ergo colit.
Caſtalides etiam celebrant TUA facta togata,
Queis, inſtar Phœbi, ſponte favere ſoles.
Præſtita quid memorem reliquis? Collata recordans
In memet, flumen torpida vena negat.
Suſcipias autem pietatis debita thura,
Aris imponit quæ mea Muſa Tuis.
Admittas facilis venientia robora Martis,
Quamvis illorum quid trucis ora gerant.
Dispellat

Dispellat tenebras, det eis TUA gratia lucem
Antiquam, mecum sic pia vota ferent:
Lauriger ut patrium Mons qui nunc sustinet orbem
Perpetuo viridi fronde serenus ovet!

ILLUSTRISSIMÆ EXCELLENTIÆ TUÆ

devotissimus cliens,
JOHANNES BILMARK.

Nobilissimo atque Consultissimo VIRO,

DNO. NICOLAO LOSTJERNA,

Judici Territoriali Æquissimo,

PATRONO MAGNO.

Singularem, qua TE prosequor, animi venerationem publice ostensurus, Exercitium hoc Academicum TUO inscribere nomini haud dubitavi. Plura enim TUA, Vir Nobilissime, in me exstitere favoris documenta, quam ut eadem recensere, nedum celebrare queam. His cumuli instar accessit, quod curam carissimorum pignorum per biennium fere mihi demandaveris. In pignus igitur grati animi munusculum hoc TIBI offero, quod ut serena excipias fronte, enixe oro atque contendo. De cetero DEum O M. calidissimis fatigabo precibus, velit TE quam diutissime incolumem sospitemque servare, in justitiæ fulcrum & familiæ TUÆ decus exoptatissimum. Sic vovet semperque vouebit

NOBILISSIMI NOMINIS TUI

cliens humillimus
JONAS STRENG.

Plurimum Reverendo atque Præclarissimo VIRO,

Dno. JACOBO SIEVONIO,

Pastori Ecclesiæ, quæ DEO in Karis, Svartö & Snappertuna colligitur, Meritissimo, Fautori quavis veneratione ætatem prosequendo.

QUanta ipse flagrasti cupiditate scientias addiscendi pulcherrimas, tanto etiam earum cultores semper complexus es amore. Hunc benevolum adfectum ego, si quis alius, expertus sum. Cunas enim vix prius reliqueram, quam studiorum meorum svasorem & temporis successu moderatorem in TE venerari mihi licuit. Et ut eo facilius progressus in litteris facerem, præter varia ad virtutem incitamenta, libros, fini obtinendo inservientes, quorum copiam mihi facere Paterna domus non potuit, lubenter concessisti. Plura alia beneficia, quæ singula enumerare & prolixum foret, & vires longe superaret meas, silentio præterire & tacita veneratione prosequi cogor. Cum itaque, Vir Plurimum Reverende, quod remunerationis loco TIBI offeram, aptius nihil habeam, quam commentationem hanc Academicam, eam, licet alieno marte elaboratam, mea tamen quadam, licet alieno marte elaboratam, mea tamen qualicunque opera defendendam, in grati animi tesseram & perenne venerationis signum tibi dicatam esse volui. Servet TE Supremum Numen omnigena felicitate mactatum, ut ad ultimos mortalitatis terminos pertingere possis, in Ecclesiæ emolumentum, familiæ TUÆ fulcrum gaudiumque exoptatissimum. Ero, dum vixero

NOMINIS TUI

humillimus cultor

JONAS STRENG.

I. N. J.

§. XXX.

NObilissimas Holmgardiæ civitates barbarorum expugnationibus atque temporum injuriis omnes valde conquassatas, nonnullas etjam funditus deletas fuisse, vidimus nuper atque horruimus. Nemo igitur dubitat, quin multa simul monumenta, quæ ad enucleandam Regum Holmgardicorum historiam pertinent, tristibus his ruinis involuta, non sine gravi reipublicæ litterariæ jactura, perierint. Profecto rara admodum vestigia rerum ab his Principibus gestarum, quæ in vetustis occurrunt annalibus, satis ostendunt superque, quod pauci horum famæ immortalitatem, quam sibi merito promiserant, sint consecuti. Difficilis igitur, sed speciosus tamen censendus est labor, nebulas collapsis horum Principum mausoleis a multis retro seculis incumbentes dissipare, factisque ipsorum, si pristinum nitorem conciliare non valeamus, cre-

peram tamen accendere lucem. Hoc certe postulat instituti nostri ratio; quare seriem Regum Holmgardicorum nunc exhibemus, non quidem continuam, qualem turbulenta, quibus hi vixerunt, tempora non permittunt, sed interruptam, a genuina tamen, ut speramus, haud multum alienam. Nulli autem ambigimus, quin hæc non solum plenius illustrari ac confirmari, sed etjam concinna magis reddi potuisset, si majori documentorum supellectili uti licuisset; qua destituti lacunas explendas aliorum industriæ relinquimus; satis habentes, si Magnorum Virorum (*a*) vestigia premere, atque præclaros ipsorum conatus integrare & aliquantum promovere valeamus.

(*a*) Promiserat quidem acutissimus noster Polyhistor *OL. RUDBECKIUS in Atlant. Tom. I. p. m.* 518, se ex Sveonibus stirpem Magnorum Moschoviæ Ducum fore deducturum; quod tamen egregium propositum vel graviores curæ in provecta ætate, vel etiam obitus Ejus, humanioribus præsertim Musis valde luctuosus, inhibuerunt. Qui idem proposituum postea urserit, hactenus invenimus neminem. Etenim ne quidem Nob. *PERINGSKJÖLDIUS*, cui plurimum alioquin debet Genealogia, Holmgardiæ Regum seriem contexere fuit conatus; sicut, schedis ejus sollicite perlustratis, pro insigni, qua Antiquitatum cultores amplectitur, benevolentia, mihi nuper significavit Nobiliss. Cancellariæ Regiæ Consiliarius CAROLUS R. BERCH.

§. XXXI.

PRimum totius Scandinaviæ nec non Holmgardiæ Regem fuisse *FORNIOTHUM* (*Forna Othin*) plerique existimant Historici. Hic pluribus ante Natum Christum seculis ad nostra adpulit littora, atque in *Kuenlandia*, provincia quadam veteris Holmgardiæ, aliquamdiu consedit (*a*). Brevi autem temporis spatio ita crevit numerus populorum, qui cum hoc Principe in boreales oras contenderant, ut ductu & auspicio filii ejus *KARE* versus meridiem demigrare cœperint; terram, quam occuparunt, ex Ducis nomine *Careliam* adpellantes (*c*). Hujus nepotum quidam Kuenlandiæ gubernacula per longam annorum seriem tranquille tenuerunt (*d*). Accrescente autem potentia, cum cognatis suis, Scandiæ & Norvegiæ Principibus, bella, non finium propagandorum, quorum ambitum ipsi vix noverant, sed gloriæ inprimis caussa, subinde gesserunt (*e*). Hæ tamen bellorum tempestates, fortitudinem utriusque gentis, otio nimio torpentem, tantum acuebant; quare nec diutinæ admodum fuerunt, nec pristinam inter vicinas nationes amicitiam penitus turbarunt. Quippe cum *BERICHUS* seu *ERICUS* Svethiæ Princeps longinquam suscepisset expeditionem, & trajecto Mari Baltico in Ulmerugiam seu Holmgardiam pervenisset, hujus cives societatem militiæ mox cum illo fecerunt; quo facto, multos orientis populos superatos sibi reddidit vectigales (*f*). Fuisse insuper in Holmgardia Reges ante Othini II. adventum nec paucos nec ignobiles, extra dubitationis aleam est positum; quamvis neque nomina neque fata in annalibus, quorum nobis copia facta est, occurrant.

(*a*) Vid.

(*a*) Vid. *Origines Norvegiæ p. m.* 1. (*b*) Ex hac pruinosa Kuenlandia, ceu ex quodam Pantheo, incolas per meridionales Fenniæ & Holmgardiæ provincias sese tandem diffudisse in resolutione Problematis Historici, de *primis Fennonum sub Arcto sedibus*, quam responsionis loco exhibuimus in solenni Promotionis Magisterialis actu An. 1754, pluribus ostendimus argumentis. (*c*) Conf. *BJOERNERI Schediasma de Varegis p. m.* 137. Videtur autem nomen *Carelia* satis amplum olim fuisse. Quemadmodum enim Fennones vocant Svecos *Ruotzalainen* ex vicina provincia *Roslagia*, vid. *Henric. BRENNERI Notas ad seriem Principum Iberiæ & Georgiæ p. m.* 87; ita Lappones etjamnum adpellitant Ruthenos *Caretios*, ex adjacente *Carelia*. Distinctionem quippe faciunt inter conterraneos, qui parent *Wona konoges, Karjeli Konoges & Mayen Konoges*, h. e. Regi Danorum, Regi Russorum & Nostro Regi, vid. *HÖGSTRÖMS Beskrifning öfver Lappmarcken p. m.* 243. (*d*) Vid. *Joh. PERINGSKJÖLDI Biblifka Släckt. Regifter p. m.* 15. (*e*) Confr. *cit. Origines Norvegiæ p. m.* 1. & 9. (*f*) Confr. *JORNANDIS libr. de Rebus Geticis Cap.* 4. nec non *SHERINGHAM de Origine Anglor. p. m.* 148 & 155.

§. XXXII.

TRanquillitatem, qua post expeditionem Berichi in gelidis casis fruebantur Holmgardi, longo post tempore turbavit Norwegiæ Rex, *HALFDANUS*, *Ringi* filius, postea *Grandævus* adpellatus. Classe enim comparata, littora Finlandiæ, Livoniæ & Holmgardiæ populatus est, nec non *SIGTRYGGUM*, magni nominis in Holmgardia regulum, in singulare certamen a se provocatum, interfecit. His factis, in supremum Holmgardiæ Regem (*a*) *EYVIN-*

EYVINDUM seu *EMUNDUM*, quem proximo ante natum C. seculo vixisse verisimile est, exercitum duxit. At, visa Venere Holmgardica, Emundi filia, *ALFRIO* (*b*), cruentos conatus remisit Mavors hic Norwegicus, svavioribus vacaturus curis. Scilicet bellum, quod inter hos principes exarserat, ea conditione fuit compositum, ut Halfdanus thori sociam obtineret Emundi nominati filiam. In avitum deinde imperium redux Norvegiæ Rex, ex conjuge sua plures suscepit filios (*c*), rerum gestarum gloria adeo inclytos, ut horum nominibus, ceu epithetis, ad indolem laudatissimorum Principum exprimendam insequens usa sit ætas. Hujus pariter Emundi filiam, fuisse Principem Holmgardicam *RINDAM*, cujus nuptias ingenti studio ambivit *OTHINUS* II, ex Asia in Gardariciam perveniens (*d*), habita inprimis temporis ratione, existimamus. Prothei hujus Scythici insidias variis quidem modis evitavit Regia virgo; ipse autem nefaria omnino ratione votorum tandem compos factus, ex ipsa filium *BOUM*, quem parti Holmgardiæ postmodum præfecit, suscepit (*e*). Atque ab isthoc tempore, ne longius regrediamur, repetendum est jus illud fiduciarium, quo Holmgardia per plura secula Regibus Upsalensibus deinceps fuit subjecta. Constat enim, *GYLFONEM*, ultimum ex familia Forniothiana in Patria Principem, præter Scandiam tenuisse etjam Kuenlandiam, nec non illum terrarum tractum, qui Novogardia dicitur (*f*).

 (*a*) Hos

(a) Hoc loco observasse juvat, quod ut alibi, ita
etjam in Holmgardia plures fuerint Reges provinciales,
qui Regi Aldejoburgensi, ut præstantissimo, omnes paruerunt;
hic autem Regis Upsaliensis imperium in multis agnovit.
(b) Vid. *Origines Nor. p. m.* 9. nec non *Thormodi TORFÆI*
Historiæ Norvegicæ Part. I. p. m. 173. Princeps hæc inter-
dum dicitur *ALMWEIGIS*, atque in Codice Flateyensi *ALFNIA*.
(c) Octodecim admodum filiorum mater fuisse perhibetur,
quorum nomina recenset *TORFÆUS libr. cit. p. m.* 173 &
174. *Hujus* Halfdani nepos *SIGGE*, Hunnalandiæ, partis
Holmgardiæ, Rex factus est, ejusque posteri idem impe-
rium aliquamdiu tenuerunt, vid. *PERINGSKJÖLDI Ättart.*
p. m. 88. (d) Othini hujus sive imperium sive transitum
per Holmgardicas provincias nominibus suis refricant tam
plurima Estoniæ loca, ut *Odens holmia*, insula prope Dagho-
am, atque regio & civitas *Odenpoa* seu *Odenboa*, quam
prædium *Æzaren* in Curlandia, de quo vide *VILDI Obser-*
vationes ad Histor. Svec. Puffendorfii p. m. 72. (e) Confr.
SAXONIS GRAMMATICI Histor. Dan. p. m. 44, 45, 46,
Cui addas *OERNHJELMI Histor. Sveo. Goth Ecclesiast. Libr.*
I, Cap. 17: 8. (f) Vid. *PERINGSKJÖLDI libr. cit. p. m.* 65.

§. XXXIII.

POstquam Othinus in societatem imperii a Gylfone fuerat admissus, brevi temporis spatio sua calliditate & prudentia rem eo perduxit, ut non solum Rex totius Svethiæ, verum etjam prioris Regis Dominus fieret. Prævidit autem, se vastum hoc imperium ægerrime tuiturum, nisi pristinæ dominationis saltem species quædam remaneret. Quamobrem filiis suis, quibus remotissimas terras

terras regendas concessit, injunxit, ut filias Gylfonis in matrimonium ducerent. Horum in numero fuit *SIGURLAMUS*, vel, ut ab aliis nuncupatur, *ODDLAMUS* (a), quem ex *FREJA*, Fiorquini gigantis filia susceperat Othinus (b). Ille, adsumta thori socia *HEIDE* (c), Gylfonis filia, magnam Holmgardiæ partem dotis loco est nactus, *Boo* reliquas provincias tenente (d). Circa hoc ferme tempus Danorum Rex *HADINGUS*, *Grami* filius, instructa classe & in societatem expeditionis adsumto pirata *Lisero*, *LOKERUM*, Curlandiæ Ducem, bello quidem est aggressus, sed fortiter adeo exceptus, ut, prælio commisso, ex acie saucius recesserit (e). Reliquiis deinde copiarum *HANDUANUM*, Holmgardiæ regulum, prope urbem Dunam tanto successu lacessivit, ut ipsum superaverit; capto autem permisit ingenti auri pondere vitam redimere (f). Dum hæc a Danis geruntur, Sigurlamus bello cum robustissimo viro *Thjassio* distinetur; a quo tandem victus fuit & occisus (g). Vacuum Holmgardiæ solium conscendit *SVAFURLAMUS*, quem ex conjuge Heide sustulerat Sigurlamus. Ipse habuit gladium, *Tirfing* dictum, prodigiosis veterum narrationibus perquam celebrem; quo Thiassium, in singulare certamen provocatum, interfecit, patris cædem sic mascule ultus. Deinde *FRIDURAM*, Thiassii filiam, in matrimonium sumsit, cum qua filiam EIVORAM genuit (h). At lubricas fortunæ vices paulo post expertus fuit modo memoratus Princeps. Ipsi enim bellum intulit

tulit *ANDGRIMUS*, Heros Bolmoënſis, atque poſt longum & anceps certamen, arrepto illius gladio, eum tranfodit. Tandem bona & arma ejus diripuit, nec non Eivoram, domum ſecum abductam, uxorem duxit, ex qua duodecim filios procreavit (*i*). Horum autem nemo ad gubernacula regni Holmgardici pervenit.

(*a*) Vid. *PERINGSKJÖLDI* Ättart. *p. m.* 65. (*b*) Vid. *Genealogiam Regum Svethicorum ab Illuſtriſſ. Heroë & Regni Senatore* BONDE *confectam & præmiſſam libro BJOERNERI, qui inſcribitur Nordiſka Kämpa dater.* (*c*) Ab hac principe nomen ſuum accepiſſe videntur cum varia Patriæ loca, tum inprimis antiquiſſima Norvegiæ præfectura, *Hedmarkia.* (*d*) *Sigurlamum* & *Boum* eundem omnino Principem, diverſis ſolummodo nominibus a variis auctoribus inſignitum fuiſſe, exiſtimat *VILDE in libr. cit. p. m.* 72. Enimvero cum conſtet, partim quod *Sigurlamus* ante Othini adventum in Septentrionem fuerit prognatus, Bous autem in tranſitu per Holmgardiam ſuſceptus, partim quod diverſa utrique filio nominetur mater, partim denuque quod aliam atque aliam progeniem uterque reliquerit; noſtro quidem judicio ſatis colligi poteſt, hos Principes non eſſe confundendos. (*e*) Vid. *Joh. MEURSII Hiſtor. Dan. libr. I. p. m.* 4. (*f*) Confr. *SAXON. GRAM. Hiſtor. libr. I. p. m.* 12. (*g*) Vid. *Herwara Hiſtor. Cap. II. p. m.* 37. (*h*) Vid. *cit. Herwar. Hiſt. p. m.* 38. Obiter monemus, quod quicquid memorata Hiſtoria a *Cl. VERELIO* edita de *Svafurlamo* referat, idem prorſus de ejus patre *Sigurlamo* prædicet exemplar Regium, quod in Dania ſervatur, ſicut teſtatur *TORFÆUS libr. cit p. m.* 420. (*i*) Vid. *Herwar. Hiſtor. p. m.* 46. Diſſentientem a nobis *Saxonem* in præſenti negotio vide a *Verelio* ſolide refutatum in *Hujus Notis ad Herwar. Hiſtor. p. m.* 49.

§. XXXIV.

AMbitioſis Othini moliminibus aliquamdiu reſtiterunt Dani, qui filium ejus Balderum, in has oras venientem, interfecerunt. Tantam injuriam ulturus Othinus, tam ex aliis terris, quam ex Holmgardia numeroſa mox contraxit auxilia. Cohortes has Holmgardicas ipſe duxit Bous (*a*), quibus inſtructus vindictam perſequitur Othinus, donec filium ejus Skjoldum Regem eligerent Dani. Præter hanc autem expeditionem nullum hujus Holmgardiæ Regis in re militari invenimus illuſtre factum (*b*). Nobis tantum conſtat, quod ipſi in imperium ſucceſſerit filius *HERNITHUS* ſeu *HARVITHUS* (*c*), Princeps bellicis artibus perquam deditus. Hic ægre admodum tulit ampliſſimam Regum Svethicorum potentiam, nec non imperium, quod in orientales exercebant terras; quamobrem comparato exercitu Archiflamen ac Regem Upſalienſem *NJORDUM*, nihil hoſtile metuentem, in ipſis regni penetralibus adeo fortiter eſt aggreſſus, ut ipſum regno pepulerit, atque filium ſuum, etjam *HARVITHUM* adpellatum, in expulſi Regis locum ſuffecerit. Verum fortuna, quæ Regi Holmgardico impenſe nuper favebat, perſonam ipſius, non autem auſpicia ſequebatur; quare etjam ſcena in Svethia paulo poſt fuit mutata. Ut enim Njor-

dus

dus & reditum Harvithi in Gardariciam & propensam Sveonum in se voluntatem cognovisset, in Patriam reversus avitum recuperavit imperium, de solio primum dejecto, mox interfecto filio Harvitho (*d*). Interea vero, dum opes Holmgardorum in Svethia senescunt, priorem Harvithum (*e*) in diversissimas Europæ provincias bellicus abripuerat ardor; ubi felicibus armis partem Græciæ & Hungariæ (*f*), eandemque haud exiguam, subjectam sibi reddidit vectigalem (*g*). Post tot prosperas expeditiones paulisper quievit, donec fama haud dubia cognovit, *WILKINUM* (*h*), Svethiæ Principem, pari successu Poloniam, multasque insuper Europæ provincias in suam redegisse potestatem. Illustrem adeo æmulum non tulit Harvithus; probe videns, incendium hoc tam propinquum tamque magnum, nisi sibi præcaveret, ipsa regni vitalia brevi fore correpturum. Collectis igitur copiis, cum fratre *HILDERO* prior Wilkinum aggreditur; sed infelici adeo marte, ut, ingenti clade accepta, in Holmgardiam confugere fuerit coactus. Fugientem magno ardore insequitur Svethiæ Princeps, validissimas Holmgardiæ civitates tam australes, quam boreales expugnat, ipsumque Harvithum, qui recentes interea phalanges collegerat, denuo profligat; quibus gestis, insignem auri & argenti nec non vestium pretiosissimarum copiam obtinuit. Tandem vero bellum his conditionibus fuit compositum, ut regnum Holmgardiæ integrum quidem obtineret Harvithus, sed an-

nua Regi Svethiæ penderet tributa. Fidem autem Wilkino datam filio ejusdem præstare noluit Rex Holmgardiæ. Cognita proinde Wilkini morte, exercitum ex toto regno iterum comparavit, quo jugum sibi impositum feliciter excussit (*i*). Huic autem victoriæ ipsum non diu superstitem esse fata voluerunt; quare imperium Holmgardicum jure hereditatis ad filium *WALDEMARUM* fuit devolutum, qui acceptam a majoribus gloriam propriæ virtutis speciminibus valde auxit. Ut enim Patrem male habuit crescens Wilkini fama; ita ipse ingentem *ATTILÆ* (*k*), Principis cujusdam Hunnorum, gloriam sine fortitudinis experimento ferre non potuit. Hunnalandiam igitur instructis cohortibus invadens, phalanges sibi obvias prosternit, atque plurimos vicos spoliat; verum supervenienti Hunnorum multitudini, præliis fatigatus, cedere paulo post fuit coactus. Attilam insequentem ac injuriarum sibi ab Holmgardis illatarum pœnas crudeliter exigentem fortiter quidem repulit, adeo ut infectis rebus domum aliquoties redierit; tandem vero Waldemarus ab Hunnis, qui potentissimos sibi conciliaverant socios, post magnam hostium cladem editam, inter confertissimos horum cuneos acerrime pugnans, victus occubuit (*l*).

(*a*) Vid. ***PUFFENDORFII introduct. ad Histor. Suecan. Cap.*** 3. (*b*) Narrat quidem ***Alb. KRANTZIUS in libr. 1. de Svethia p. m.*** 216, Boum cum Hothero, Svethiæ Principe, de quo mox plura, bellum gessisse, victoriamque repor-

tasse; sed quod vulneribus adeo fuerit confossus, ut subjectis clypeis in castra elatus, animam brevi post exhalaverit. Vix autem concedi potest, Boum provectam adeo attigisse senectutem. (*c*) Nomen hoc omnino est Gothicum, descendens ab *Har* excelso & *vit*, *vet* sapientia, vid. *Jac. VILDI Præparat. Hodeget.* §. 86. *not.* 3. *p. m.* 314, 315. (*d*) Confr. *ERICI Upsaliensis Histor. Svecan. p. m.* 14; *MESSENII Scondia illustr. Tom. I. p. m.* 7. nec non *VERELII Notas ad Epistol. Defensor. Joh. SCHEFFERI &c. p. m.* 7. Plura hic cumulamus Auctorum testimonia; quoniam examinare non vacat sententiam Nob. *VILDI*, expeditionem Harvithi contra Svecos tempore Njordi susceptam in dubium vocantis, Vid. *Ejusd. observat. ad Hist. Svec. Pufend. p. m.* 112. & 113. Insuper observamus, quod *SCHOETTGENIUS in Differt. de Originibus Russorum Sect. V. p. m.* 13, Harvithum Othini filium faciat; at quo jure dispiciant alii. (*e*) Tantum veterum Historicorum scriptis tribuimus, quanti seniores suos vix fecerunt Lacedæmonii, antiquitatis certe maximi æstimatores. Non equidem ignoramus, fabularum ac hyperbolarum nebulas subinde in illis occurrere; hæ tamen, debito ingenii acumine adhibito, facile dissipantur. Præterea autem in scriptis ipsorum atque rerum gestarum expositionibus simplicitatem & candorem animadvertimus, canitie illorum temporum omnino dignam. Hinc etiam consvevi, omnia prius ad vivum resecare, & singula in mitiorem potius partem interpretari, quam quidpiam, ceu confictum, temere exploderem. Ast ingenue fateor, quod Auctor antiquæ *Vilkinensium Historiæ*, a Nob. *PERINGSKJÖLDO* editæ, sæpe adeo lapsus videatur, ut omnes circumstantias rite conciliare plus quam Herculeum censendum sit opus. Laudandus profecto, quod magnam rerum memoria dignissimarum copiam nobis conservaverit, & amplissimorum virorum fortia facinora Gothica

ca exposuerit gravitate; vix autem excusandus, quod facta Heroum disparis admodum ætatis conjungat & invicem quasi complicet. Haud opus est, ut exempla a proposito aliena adferamus; ipse Harvithus, qui vivus Svecis magnas, mortuus haud exiguas nobis creavit molestias. Vita enim hujus in memorata Historia connectitur partim cum ætate magni *Attilæ*, qui seculo V. inprimis floruit, partim etiam cum imperio *THEODERICI Barnensis*, qui seculo VIII. vixit; quare vehementer dubitavi, an hic Harvithus fuerit Boi filius, vel alius Holmgardiæ regulus ejusdem nominis. Ut vero animadverti, quod hic Holmgardiæ Princeps illo tempore vixerit, quo Svethiæ præfuit Njordus, & quod hunc prælio superaverit, vid. *Histor. Vilkinens. p. m.* 36 & 116. sicut alia nostra habent monumenta, hoc tandem scrupulo fui liberatus. Denique re serio perpensa intellexi, narrationem rerum a nominatis principibus gestarum esse satis sinceram; horum autem expeditiones conjungi, non tam propter æqualem ætatem, quam potius propter parem masculorum facinorum celebritatem. Tandem non me solum, sed acutissimum etiam *BAYERUM* memorata Historia suspensum detinuit, ut ex *Act. Petropol. Tom. IV.* nuper cognovi. (*f*) Quamvis in *Vilkinens. Histor. loc. cit.* Græcia & Hungaria conjungantur, non tamen propterea est existimandum, terras vicinas heic indigitari, aut per *Hungariam* celebrem Pannoniæ partem significari. Hungaros enim illos quondam adpellatos *Jurbos* & *Ugros*, atque Holmgardiæ nostræ conterminos fuisse, suffragiis multorum Historicorum constat; qui tamen, veras ipsorum sedes definituri, in diversas admodum sententias abeunt. Enimvero cum in parte Moschoviæ maxime septentrionali occurrat provincia *Juhoria* vel *Juguria*, vid *HERBERSTEINI libr. de Reb. Moscovit.* perquam probabile est, *Hungaros* in hac terra ista tempestate sedes habuisse. Quod vero hodierni *Hungari* non sint

intelligendi, vel inde constat, quod hoc ipsorum nomen ante secul. IX. apud Historicos vix inveniatur. Quid? Quod ipsi fateantur Hungari, suam nationem a modo memorata *Juboria* suos repetere natales, confr. *Henr. BRENNERI Epist. ad Rev. Doct. E. BENZELIUM p. m.* 108. (*g*). Vid. *Histor. Vilkinens. p. m.* 114. (*h*) Hic idem esse videtur cum *FILMERO*, *Yngvari Freji* filio, qui in Holmgardia multas res fortiter gessit, vid. cit. *VERELII Epist. p. m.* 7. (*i*) Confr. *Histor. Vilkin. p. m.* 114---118. Hujus Harvithi Genealogiam vid. *in Tab. III.* memoratæ Historiæ annexa. (*k*) Ita Princeps hic in dicta Historia nominatur; quisnam vero in serie Regum Hunnicorum fuerit, non determino, ipsum solummodo Magno Attila fuisse anteriorem observo. (*l*) Vid. *Histor. Vilk. p. m.* 372, 373, 391, 397.

§ XXXV.

MUltos quondam in Holmgardia fuisse regulos, qui Regibus paruerint Aldejoburgensibus, haud ita pridem observavimus. Hi autem tantas comparare potuerunt copias, quantis vel finitimas gentes bello lacessere vel invadentium hostium impetum soli possent sustinere. Inter hos celebratur *DORNO*, Curetum Princeps, quem, interea dum Harvithus atque ejus filius variis inclarescunt expeditionibus, bello aggressus est Daniæ Rex *FROTHO I.* dolisque circumventum superavit (*a*). Tam prosperis armorum initiis incitatus, *TRANNONEM* quoque, Regem Holmgardiæ, opibus plurimum valentem, terra marique impugnavit. Cum autem diffideret, se ingentem Trannonis classem aperto marte expugnare posse, urinatorum more, paucis militum stipatus, naves hostium sub aquis perterebratas, omnes submersit; quibus factis, Holmgardiæ partem in suam redegit potestatem, victorque in Daniam remeavit (*b*). Interjecto tempore, cum populi orientales annua tributa absenti pendere detrectassent, legatosque, quos exigendi vectigalis caussa huc miserat, nefario modo peremissent, duplici hac injuria motus Rex Daniæ, rebelles severe persequitur, atque Rotalam, inclytam Holmgardiæ urbem, arctissima obsidione cinctam, expugnat. Post hæc ad oppidum Peltiscam exercitum ducit, eamque novo stratagemate, ut vaferrimum ipsi fuit ingenium, subvertit, nec non Regem *VESPASIUM* occidit (*c*). Tandem Frotho, Holmgardicorum copiis in auxilium vocatis, Svethiam invasit, facilem sibi promittens victoriam, quod Princeps *REGNERUS* tum abesset. Verum Regina & soror ejus *Swanhwita*, femina Amazonico turgens spiritu, contracto exercitu adeo fortiter eum excepit, ut victus captusque fuerit, sed propter necessitudinis vinculum dimissus (*d*).

(*a*) Vid. *Alb. KRANTZII Histor. Dan. Libr. I. p.* 8. (*b*) Vid. *SAXON. GRAM. Libr. II. p. m.* 21 & 22, nec non *PONTANI Histor. Dan. Libr. I. p. m.* 16. (c) Confr. *MEURSII libr. cit. p m.* 6; cui addas *E. PONTOPPIDANI libr. de Rebus gestis Danorum extra Patriam Tom. III. p. m.* 337, 338. (*d*) Vid. *PUFFENDORFII Histor. cit. Cap. IV. §. XI.*

§. XXXVI.

MAsculam Sigurlami prolem in Svafurlamo deficientem

ficientem nuper vidimus. Huic proinde ſtirpi natales ſuos non debet *YNGVARUS*, qui vel ſimul cum Waldemaro I. vel paulo poſt eum imperium tenuit Holmgardicum. An vero ipſe ex Harvithi liberis fuerit, nondum ſatis exploratum habemus. Conſtat autem, quod Princeps hic illo tempore vixerit, quo *YNGVE FRET* ad gubernacula regni Svethici ſedit, (*a*) atque ob potentiam & eximiam prudentiam ſua ætate admodum celebris fuerit. Hoc Rege, *STURLOGUS*, fortiſſimus Heros, bellum intulit Bjarmiis, tantoque ſucceſſu prælium cum illis commiſit, ut exercitum ipſorum proſtraverit, Regemque Rôndolfum interfecerit. His factis, in Hunnorum regionem profectus, pari felicitate Regem ipſorum, Hundolfum dictum, ſuperavit (*b*). Deinde victrices copias in Holmgardiæ interiora deduxit, & in Regem Yngvarum, Aldejoburgi ſedentem, impetum fecit, quem poſt triduam, eandemque graviſſimam, pugnam ſuperatum occidit (*c*). Poſt hæc Yngvari filiam, *INGEBORGEM*, Principem venuſtiſſimam, *FRADMARO* (*d*), fidiſſimo comiti, in matrimonium collocavit, ipſique integrum ſoceri regnum reſtituit. Fradmarus autem imperio admotus, non tam de eodem amplificando, quam potius de eo poſt tot calamitates rite conſtituendo fuit ſollicitus; quem in finem prudentiſſimos per totum regnum viros convocavit, ſicque concilium Aldejoburgi inſtituit (*e*). Circa hoc fere tempus floruit etiam *BIARTMARUS*, Comes Aldejoburgenſis, qui tanta gaviſus fuit potentia & auctoritate, ut nihil ipſi præter

præter regium nomen defuiſſe videatur. Filia illi, eaque ſuboles unica, nomine *SVAFA* fuit, virgo ſpecioſæ admodum formæ & magni ſimul animi. Hanc in matrimonium obtinuit *ANGANTYRUS*, Andgrimi ſupra memorati major natu filius, qui ex ipſa ſuſcepit inclytam illam viraginem *HERVORAM*, quam ob intrepida & plane maſcula facta magnopere extollunt vetuſta monumenta (*f*).

(*a*) Quin Yngvarus hic æqualis fuerit Sturlogo, nemo ſobrius dubitat. Sturlogum autem fuiſſe Svethiæ Regis, *Yngve Freji* dicti, qui Othini II. nepos erat, Marchionem ex *Hiſtoria Sturlogi* dilucide oſtendi poteſt; unde porro ætas Yngvari noſtri facile colligitur. Conſule tamen de eadem *BJOERNERI libr. de Gothunheimia p. m.* 79. (*b*) Vid. *Sturlogi Hiſtor. p. m.* 55 & 56. atque *TORFÆI Hiſtor. Norveg. P. I. p. m.* 202. (*c*) Vid. *Sturlogi Hiſtor. p. m.* 72. (*d*) Ab hoc *Fradmaro* diſtingvendus omnino eſt pirata quidam ejusdem nominis, qui cum Catillo Hængo grave habuit certamen, a quo autem tandem interfectus fuit, vid. *TORFÆI libr. cit. p. m.* 321 & 322. Hujus enim Fradmari ætas incidit in ſeculum VII. (*e*) Confr. *Sturl. Hiſtor. p. m.* 74. (*f*) Vid. *Hervar. Hiſtor. p. m.* 66 & ſeqq.

§. XXXVII.

Ex dilectiſſima conjuge multos & inclytos filios ſuſcepiſſe dicitur Fradmarus (*a*). Quamvis vero nec nomina, nedum res geſtas horum expiſcari potuerimus; a veri tamen ſpecie non abhorret, ipſos minus fidam cum Svecis coluiſſe amicitiam; quod ex bellis, ſub horum imperio inter utramque gentem geſtis, facile colligi poteſt. Vindictam

dictam autem calamitatum, quas ab Holmgardis iterum iterumque paſſi fuerunt, aliquamdiu diſtulerunt Sveci, finitimarum ſcilicet gentium incurſionibus quotannis fere diſtricti; eandem vero prorſus omittere non permiſit genius iſtorum temporum, quibus bella a parentibus cœpta filii non degeneres perſequi tenebantur. Moti igitur Noſtri memoria tam dictarum vexationum, quam inprimis ſuppetiarum, quas Frothoni, Danorum Regi, Gothiam immaniter diripienti, nuper ſubmiſerant Holmgardi (*b*), ductu Principis *HALVARDI HOTHENBROTI* naves, numeroſis copiis inſtructas, in terras orientales ſolvunt. Adventantibus occurrunt quidem Holmgardi, ſed prælio victi ſalutem fuga quæſiverunt. Deinde Halvardus arma victricia undique circumtulit, nec prius bellum compoſuit, quam Fennones, Sembos, Eſtones, Curlandos, aliosque Gardariciæ populos ſubactos, conſveta tributa ſibi pendere coëgiſſet (*c*). Enimvero Holmgardi in officio non diu manſerunt; ſed ſequenti tempore, quando Gothiæ Princeps *HOTHERUS*, vario cum Danis marte pugnaſſet, confeſtim nova moliri cœperunt. At hoc non impune tulerunt: finito enim cum Danis bello & compoſitis utcunque in Patria rebus, Hotherus contumaces ſtrenue quidem impugnavit; ad poſtremum autem multis confoſſus vulneribus, ingentique hoſtium primariorum jam occiſorum cumulo obrutus, fortem exhalavit animam (*d*). Ut autem ex flamma novæ flammæ continuo naſcuntur; ita ex

ex bellis bella non raro ſeruntur. Patris igitur cædes filium ac ſucceſſorem *RODERICUM SLYNGEBAND* in maſculam ultionem extemplo incitavit. Primum enim bellum adverſus Holmgardos movit ingenuus hic Princeps; quod tanto armorum ſucceſſu geſſit, ut hoſtes, propter recentem victoriam adhuc triumphantes, ſuperaverit; indeque progreſſus Curlandos etjam ac Venedos ita domuerit, ut annua ipſi tributa poſtmodum pependerint (*e*).

(*a*) Vid. *Hiſtor. Sturlogi p. m.* 75. (*b*) vid. *LOCCENII Hiſtor. Svecan. libr. I. p. m.* 13. (*c*) vid. *MESSENII Scond. Illuſtr. Tom. I. p. m.* 12. *Analect. Libr. I. p. m.* 28. nec non *HWITFELDI libr. de Rebus geſtis Regum Danorum.* (*d*) confr. *LOCCENII Libr. cit. p. m.* 16 (*e*) vid. *MESSENII Libr. cit. p. m.* 14. atque *LOCCENII Hiſtor. p. m.* 17.

§. XXXVIII.

HActenus vidimus, quid in Holmgardia ſub imperio poſterorum Fradmari egerint noſtri Principes; poſtulat itaque inſtituti ratio, ut oſtendamus, Reges Upſalienſes hoc tempore haud ſegniores fuiſſe in ſuis juribus vindicandis. Quamvis enim mentionem Regis cujusdam Holmgardici, hoc ævo florentis, nullibi injectam reperiamus; filum tamen narrationis de fatis Holmgardiæ propterea abrumpere nolumus. Interjecto igitur tempore Svethiæ Rex *SVEGDURUS* deſperans, ſe magnam Holmgardorum pugnandi ferociam ſatis poſſe reprimere, eandem in alias gentes convertere prudenter ſategit. Quippe præclaris, ut videtur,

tur, MœsoGetharum facinoribus incitatus (*a*), densam virorum nubem, specie vindicandæ injuriæ Othino II. quondam illatæ, e Patria movit; cum quibus in Holmgardiam delatus, hujus cives in societatem belli, contra populos ad Tanaim habitantes gerendi, facile perduxit (*b*). Difficile enim non fuit persvadere hanc expeditionem sponte sua desiderantibus. Tam amplis vero adparatibus par successus non respondit: a subdolis enim sociis insidiis circumventus, dum spe maxima amplificandi imperii nitebatur, occubuit. Indignam hanc cædem filius *VANLANDUS* ultus videtur (*c*). Deinde magna per terras orientales consecuta est malacia. Crescentibus vero interea viribus, crevit etjam bellorum gerendorum cupiditas. Profecto Regis Svecorum, *DYGVII*, pacificum imperium meticulosi animi signum haud ambiguum esse existimarunt Holmgardi; quamobrem & Estones & Carelii, belli metu liberati, consveta ipsi pendere tributa arroganter detrectarunt (*d*). Filium autem & successorem reliquerat hic Rex, tanto magis a suis metuendum hostibus, quod inde a teneris cum Palladis tum Bellonæ etjam artibus se totum consecrasset. Primo itaque amicum, *Sparf* dictum (*e*) in Holmgardiam misit, genium horum populorum exploraturum, &, si fieri posset, immorigeros ad officium reducturum. Hoc autem a ferocibus Rid-Gothis seu Holmgardis interfecto, Dagus ipse ingenti stipatus exercitu in Gardariciam transiit, multaque cruenta quidem, sed felicia

licia tamen cum hostibus prælia commisit; sicque gravissime in eos animadvertit. Tandem vero rebus fere omnibus ex arbitrio Victoris compositis, a servo quodam *Grami*, qui hujus seditionis fax & tuba fuerat, in pago *Worwa* dicto, ad flumen *Skjotanswad* telo subdole confossus occubuit (*f*). Hac tamen perfida cæde in pristinam libertatem sese vindicare non potuerunt Holmgardi. Partim enim ut acceptam a parente gloriam tueretur, partim etjam ut pietatem in defunctum ostenderet filius *AGNERUS* exercitum suum in orientem trajecit, ibique multa cum Fennonibus & Holmgardis habuit prælia, e quibus superior plerumque discessit (*g*). Magnis his cladibus adfecti & fatigati aliquamdiu quieverunt Holmgardi.

(*a*) Vid. *VILDI Observ. ad Histor. S. Puff. p. m.* 122. (*b*) vid. *HJALMT. & Orvar. ODDI Histor. cit. a PERINGSKJÖLD in libr. Ättart. p. m.* 9. (*c*) vid. *VILDI libr. citat. p. m.* 124. (*d*). vid. *DALINI Histor. Svecan. Tom. I. p. m.* 355. (*e*) *MESSENIUS libr. cit. p. m.* 19. illum recte vocat *corycæum.* (*f*) confr. *STURLONIDIS Heimskringl. Tom. I. p. m.* 21. (*g*) vid. *STURL. libr. cit. p. m.* 22.

§. XXXIX.

NUnc autem seriem Regum Holmgardicorum, caligine priorum temporum nimis interruptam, rursus adprehendere & aliquamdiu continuare datur. Hoc igitur ævo, ad quod res Holmgardorum modo perduximus, Gardariciæ præfuit *OLAFUS* seu *OLIMARUS* (*a*), non minus propter

 potentiam

potentiam, quam res geſtas celebris. Hoc ad gubernacula regni ſedente, Dani varias expeditiones trans mare Balticum ſuſceperunt; quarum illa, quam *FROTHO III.* geſſit, præcipua eſt cenſenda. Verum rem ab initio ordiamur. Memoratus Daniæ Rex, miſſis legatis, in matrimonium petiit *HANUNDAM*, Hunnorum Regis, *HUN* adpellati, filiam; ipſa autem procum hunc, opibus quidem valentem, ſed rerum bellicarum gloria minus inclytum, diu averſata fuit. Tandem vero vel philtro vel alio modo arrogans conſilium mutavit, atque in nuptias Frothonis, quas ambitioſe ipſe quæſiverat, conſenſit. Verum fervidus hic amor, quo venuſtiſſimam Principem proſequebatur Daniæ Rex, tepeſcere primum, mox penitus refrigerari cœpit. Quamobrem paulo poſt adulatoribus adſentiens, ipſam repudiatam Rollero, Duci cuidam Norvegiæ non ignobili, in matrimonium collocavit. Hanc contumelium ferre non potuit Hunnorum Princeps; quare, poſtquam ſibi adjunxiſſet Olimarum, bellum omni niſu in Danos paravit. Tanta autem fuit horum Regum auctoritas, ut plurimi per orientem Principes copias ipſis auxiliatrices ſponte ſua ferrent. Primum belli impetum excepit Olimarus; calliditate vero *ERICI*, Ducis Norvegici, qui Frothonis militiam ſequebatur, Dani victoriam reportarunt, multique Reges, exceptis Olimaro & Dago, prælio ceciderunt. Tantum exercitus Hunnorum adhuc ſuperfuit, ut ſi cum his reliquiis Danos fuiſſent aggreſſi, facilem reportaſſent

portaſſent palmam. Dum autem cunctantur, oritur fames, atque ex fame diſcordia; adeo ut in mutua viſcera enſes ſtrinxerint diverſæ nationes. His turbis quodammodo ſedatis, Hun pugnam cum Danis commiſit, quam per ſeptem dies continuavit; ſed ab hoſtibus tandem victus & proſtratus fuit. Bello confecto, occupatas terras inter captos Principes, qui ipſius partibus ſe adjunxerant, diviſit Frotho. Olimarum itaque in priſtinum regnum ea lege reſtituit, ut annua ipſi penderet tributa. Eodem tempore ac pari conditione *OENEVO* Conogardiam (Kuengardiam), nec non *DAGO* Hæſtiam (Eſtoniam) regendas conceſſit (*a*). Ex hac expeditione occaſionem ſibi ſumſiſſe videntur Holmgardi, in littoribus Danorum frequentia exercendi latrocinia. Inter ceteros, qui per mare Balticum claſſibus ſuis vagabantur, illudque infeſtum reddebant, maxime innotuit *ROTHO*, Archipirata Holmgardicus, qui in Daniam adpellens, multa ibi crudeliter geſſit, ingentesque ex hoc regno egit prædas. Hunc Neptunium pugilem, ſpecioſos ſibi titulos arrogantem, atque novum ſibi imperium in his oris conſtituentem, aggreſſus quidem fuit Fioniæ Rex *HANO*, verum gravi admodum clade ab ipſo adfectus, tergum vertit & cum reliquiis copiarum domum ſe contulit. Hactenus Rothoni ex ſententia omnia ſucceſſerant, ſed fortunæ facies paulo poſt mutata fuit. Regulis enim Danorum hoc flagellum vehementer metuentibus, Daniæ Rex *BORCHARUS* (*b*) Rotho-

Rothonem prælio superatum interemit quidem; sed & ipse, profundissimis vulneribus acceptis, in eodem campo animam exhalavit (c).

(a) *Chronicon ERICI POMERANI p. m.* 129 *Edit. Elzev.* hæc habet: *Contra hunc Frothonem venit Rex Hunnorum cum aliis* 69. *Regibus.* Et paucis interjectis: *Hos omnes occidit Frotho, pugnans cum iis in mari juxta Bleking.* Magnam in his præliis factam fuisse hominum stragem nulli dubitamus, vera tamen longe majorem illam exhibere videntur Danici Scriptores, confr. *SAXON. GRAM. Libr. VI. p. m.* 86 *& seqq.* nec non *E. PONTOPPIDANI libr. de R. G. D. &c. Tom. III. p. m.* 337---346. (b) Hunc *Borcharum* Patrem Haraldi Hildetandi fuisse, existimat *SAXO libr. cit. p. m.* 128; cui tamen opinioni nec circumstantiæ Chronologicæ nec Genealogicæ satis favent, ut ex inferius dicendis constabit. (c) Confr. *SAXON. libr. cit. p. m.* 134 *&* 135.

§. XL.

Postremis Regis Olimari diebus apte adeo annectitur ætas *HALFDANI*, Regis Holmgardiæ maxime quondam inclyti (a), ut si ex convenientia temporum ad genus concludere liceret, in istam facile inducerer opinionem, hunc illius filium fuisse. Cum enim Regi Upsaliensi *ALARICO*, Agneri filio, æqualis passim memoretur (b); dilucide constat, ætatem ejus in seculum III. fere incidere (c). Filiam habuit *OLOF* vel *ALOF* (d) adpellatam, quam propter ingenuos mores impense dilexit. Principem hanc conjugem sibi expetivit *CATILLUS KREID*, Vestro-Gothorum Regis *GOTHRICI*

CI filius major natu, atque *ROLFI*, fortissimi illius Herois, frater; verum propter pusillam staturam confestim repulsam tulit. Gravem hanc contumeliam ulturus Rolfus, classem instruxit, &, copiis in Holmgardiam trajectis, adeo fortiter cum Halfdano congressus est, ut hic ingentem acceperit cladem. Sicque vi & armis a debellato Principe extorsit Mavors Gothicus, quod astutia sua & blandimentis impetrare non potuit Catillus. Scilicet post tanta fulmina lectissimam hanc virginem thori sociam obtinuit ambitiosus procus (e). Sed alia etjam illati Holmgardis belli caussa fuisse videtur. Paulo enim ante, quam hanc expeditionem susceperant Vestro-Gothi, caterva quædam Holmgardorum ductu & auspicio Reguli cujusdam, *SISARI* (f) dicti, qui Kiænugardiæ præfuit, in ipsam penetraverant Vestro-Gothiam, multaque ibi fortitudinis, plurima atrocitatis suæ reliquerant vestigia (g). Principe autem Kjænugardensi interfecto a robustissimo pugile Starckothero (h), reliqui ejus comites animum despondentes, gelidas confestim repetiverunt casas. Ut vero majores adhuc pœnas petulantiæ suæ luerent Holmgardi, idem Starckotherus, inita cum pirata Bemone societate, Gardariciam invasit, hostes sibi obvios prostravit, atque Regulum Holmgardiæ celebrem, *FLOCCUM*, superavit, magnisque sic onustus manubiis ad classem rediit. Ut hunc hostium impetum retardarent Holmgardi, tribulos quidem vel inusitati acuminis clavos per campos sparsisse feruntur; Gothi autem soleis ligneis ex consilio Starckotheri induti, horum aculeorum

leorum vim facile eluserunt (*i*). Ut vero Starckotherus domum pervenit, populi orientales defectionem moliti sunt; quamobrem in Holmgardiam se iterum contulit, atque Curlandos nec non alias bene multas nationes ad officium redire vi & armis compulit (*k*). Interea cognovit, *VISINNUM*, pugilem quendam, magnam in Holmgardia famam ob solertiam pugnandi fuisse consecutum, nec non suis flagitiis ingentem omnibus injecisse terrorem. Hunc aggredi nemo fuit ausus, propterea quod magicas artes adeo callere credebatur, ut solo conspectu aciem optimorum gladiorum obtunderet. Nihilo tamen minus Starckotherus rupem vel insulam, *Anafial* nuncupatam, quam sede & mansione complexus fuerat Visinnus, petiit, atque gladiatorem hunc, artis suæ beneficio spoliatum, oppressit (*l*). Nec hoc loco est reticendum, quod in Holmgardia & quidem, ut videtur, in aula vel Olimari vel etiam Halfdani, filium *FRIDLEVUM* educandum reliquerit Daniæ Rex Frotho III; quodque ibi in summa vixerit dignitate, cum, defuncto patre, ad habenas regni Danici capessendas fuit evocatus (*m*). Accidit autem interea, dum hic Fridlevus in Holmgardia commorabatur, ut amitinus ejusdem *HALFDANUS*, Erici filius, Gothiæ Princeps, continuis Norvegorum incursionibus pæne enervatus, copias auxiliatrices ab Holmgardis peteret, easque sollicitatione & auctoritate Fridlevi impetraret; quibus in Norvegiam perductis, atque cum exercitu Gothorum conjunctis, Halfdanus insignem reportavit victoriam (*n*).

Verum

Verum hæc grata rerum facies & inter utramque gentem amicitia paulo post mutata fuit. Bello enim inter Svecos & Holmgardos, nescio qua de caussa, conflato, Dani occasionem sibi commode oblatam Regum Svecorum per has oras imperium minuendi haud negligendam censentes, ductu & auspicio Regis sui Halfdani, Holmgardis suppetias tulerunt. Postquam autem æquo utcunque marte aliquamdiu inter se pugnassent, res tandem a prælio ad singulare certamen abiit, adeo ut *HILDIGERUS*, modo memorati Halfdani frater, qui castra Regis Svecorum *YNGVII*, Agneri filii (*o*), sequebatur, pugiles Holmgardorum ad pugnam provocaret, atque eorum septuaginta omnino solus e medio tolleret. Ad postremum vero cum frater Halfdanus etjam sese ipsi offerret, pietatem fortitudini præferens, pugnam diu detrectavit. Demum aleam certaminis subiit: sed, forte quod pugnam vel prudenter vel acriter satis non cieret, ab Halfdano graviter vulneratus occubuit. Quo facto, Rex Daniæ, neglectis palmis, quæ ipsum manere jam videbantur, ad tædas instituendas domum se contulit (*p*); bellumque inter Svecos & Holmgardos ita fuit compositum.

(*a*) *Sa ried Kongr fyrer Gardarike, er Halfdan hiet, han war witr Kongr oc winsäll.* h. e. eo tempore Gardariciæ præfuit Rex, Halfdanus dictus, qui admodum sapiens & erga omnes facilis erat, vid. *GOTHRICI & Rolfi Histor.* p. *m.* 163. (*b*) vid. *cit. GOTHRICI & R. Histor. passim.* (*c*) vid. *VILDI observ. aa H. S. p. m.* 146. (*d*) *OLOF* vel *ALOF* haud infrequens fuit mulierum in Scandinavia nomen.

Etenim

Etenim Nericiæ Regis *Olavi SKYGNE* filia *ALOF* dicebatur, vid. *STURLON. Heimskr. Tom. I. p. m.* 53. Eodem quoque nomine insignita fuit Saxoniæ Regis *Haki* filia, vid. *PERINGSKJÖLDI* *Ätt. p. m.* 67. (*e*) vid. *cit. Gothrici & Rolf. Histor. p. m.* 162, 163, 165, 198, 204. (*f*) Hunc e numero Regulorum Holmgardicorum (Smakongr & Fylkiskongr) fuisse jure optimo existimat *O. VERELIUS in Not. ad Gothr. & Rolf. Histor. p. m.* 32. (*g*) *En Vikar kom opp i Væni, tha kom thar i moti honom kongr, sá er Sisar hiet; han var Austan ur kiænugardi ok var Kappi mikell ok hafdi lid mikid.* h. e. Quando Vikar ad lacum Vænerum pervenerat, occurrit ipsi Rex, Sisar dictus, e Kiænugardia profectus, vir fortis & multis stipatus copiis, vid. *Gothrici & R. Hist. p. m.* 26. Hunc Vikarum, Norvegiæ regulum, qui spoliatum in Vestro-Gothiam venerat, comitabatur quidem Starckotherus, postea vero ipsum suspendit, vid. *DALINI Hist. Svec. Tom. I. p. m.* 360 *in not.* (*h*) Hic pugil magno etjam adjumento fuit *FROTHONI IV.* Daniæ Regi, vid. *PONTOPPIDANI libr. cit. Tom. III. p. m.* 346. (*i*) vid. *SAXON. GRAM. libr. VI. p. m.* 104, cui addas *BROLINI libr. de Diis Tutelaribus p. m.* 32. (*k*) confr. *SAXON. libr. cit. p. m.* 105. (*l*) vid. *PONTOPPIDANI libr. cit. p. m.* 347, aliosque ab ipso nominatos Auctores. (*m*) Confr. *SAXON. libr. cit. p. m.* 96. (*n*) Vid. *MESSENII libr. cit. p. m.* 16. (*o*) vid. *DALINI libr. cit. p. m.* 364. (*p*) vid. *SAXON. libr. VII. p. m.* 135 - - - 137; nec non *MESSENII libr. cit. p. m.* 20 & 21.

§. XLI.

Post obitum Halfdani invenimus *HROLAUGERUM* ad gubernacula regni Holmgardici sedentem; qui proinde, si quid conjectando adsequar, vel illius fuit filius, vel saltem propinqua cognatione ei junctus. Hic suæ ætatis Principum facile potentissimus erat; quippe & multæ & vastæ ipsi paruerunt regiones (*a*). In annalibus tamen nostris magis propter liberos, quam res fortiter & feliciter gestas passim celebratur. Tenendum igitur est, quod ex conjuge sua, *HERBORGE*, filium *HERLAUGERUM* nec non filiam *HERGERDEM* susceperit. Illum educandum adoptavit Rid-Gothiæ Princeps *HEIDREKERUS* (*b*), Regis Glæsisvallensis *HAVFUDI* ex animosa Hervora filius. Post hæc cum in aula Aldejoburgensi forte degeret Heidrekerus, &, nescio quo fine, simularet, ingenuum alumnum a se inter venandum esse occisum, Hrolaugerus, qui ipsius crudelitatem sibi probe perspectam habebat, non dubitavit, quin vera narrarentur; quo factum est, ut pristinæ inter Reges Holmgardiæ & Rid-Gothiæ inimicitiæ protinus recruduerint, parumque abfuerit, quin frivolum hoc inventum Heidrekeri capite constitisset. Confestim enim captus, manibus post tergum revinctis, in procera arbore suspensus fuisset, nisi a Rid-Gothicis turmis, oportune admodum accurrentibus, ex præsentissimo hoc periculo servatus esset. Commissum quidem fuit hac occasione breve quoddem certamen inter amborum Principum milites; Holmgardis autem extemplo domum sese conferentibus, Rid-Gothi superiores acie excesserunt. Deinde Heidrekerus, navibus conscensis, littora Gardariciæ latrociniis aliquamdiu reddidit infesta. Procerum tamen conciliatione amicitia inter exacerbatos Principes

Principes his conditionibus denuo fuit ſancita, ut Heidrekerus Holmgardiæ Regis filiam, Hergerdem, thori ſociam, & inſuper dotis loco partem quandam Venediæ ſeu Finlandiæ obtineret (*c*). His parentibus natales ſuos debet altera HERVORA, quæ in prælio contra Hunnos, dum acerrime pugnavit, telo confoſſa, virgineam exhalavit animam (*d*). Qualia Herlaugerus poſtmodum ſit expertus fata, an ad imperium Holmgardicum, Patre defuncto, pervenerit, vel illuſtribus inclaruerit factis, expiſcari non potuimus; cum de his rebus altum ſit apud Hiſtoricos ſilentium. Denique notandum eſt, quod hoc circiter tempore Mœſo-Getharum Rex *HERMANRICUS*, felicibus, ut videtur, priorum Regum Svethicorum in oriente expeditionibus incitatus, plurimis undique collectis copiis, Holmgardicas provincias aggredi & immaniter ſpoliare cœperit, adeo ut Eſtones, multique inſuper maris Baltici accolæ faſces imperii victorioſo huic Principi ſubmittere fuerint coacti (*e*).

(*a*) *Han var thâ rikaſtur Kongur oc vialendaſtur*, hoc eſt; Rex admodum dives fuit, cui multæ terræ fuerunt ſubjectæ, vid. *Hervar. Hiſtor. Cap. XLII. p. m.* 132. (*b*) Principem hunc cum *Alarico*, Svethiæ Rege, male confundunt *SAXO* & *STEPHANIUS*. (*c*) vid. *Hervar. Hiſtor. p. m.* 132 & *ſeqq.* (*d*) vid. *cit. Hervar. Hiſtor. Cap. XIX. p. m.* 172. (*e*) vid. *JORNANDIS libr. de Reb. Get. Cap.* 23 & 24.

§. XLII.

SEculo quinto tot fuerunt gentium arma quaquaverſum circumferentium partim emigrationes partim etjam expeditiones, ut turbulenta hæcce tempora conſiderantibus tota ferme Europa in continuo, eodemque maxime æſtuante, fervore conſtituta videatur. Horrendis autem his Bellonæ ſævientis motibus ac fragoribus Muſas quoque adeo obſtupefactas & attonitas deprehendimus, ut ſua quaſi oblitæ penſa, latebras tantum, quibus tuto deliteſcerent, circumſpexerint. Quamobrem ex ingenti caſuum memorabilium, qui hoc ſeculo contigerunt, copia, vix paucos quoſdam ad ſeros tranſmiſerunt nepotes. Denſa hæc ignorantiæ caligo, quæ Holmgardicas etjam adflixit regiones, facit, ut ſtatum earundem difficulter detegere queamus. Novimus tamen, quod pars Hunnorum, ad Pontum Euxinum commorantium, latius latiusque per Europam ſuum extenderit imperium, atque dum Gothi, Alani, nec non aliæ gentes immanibus inter ſe committebantur bellis, provincias quaſdam Holmgardiæ meridionales occupaverit (*a*). Inter Reges autem Holmgardiæ, qui hoc ſeculo floruerunt, ſolus nobis innotuit *VISIMARUS* (*b*). Hoc ad clavum imperii ſedente, bellum exortum fuit inter Svethiæ Regem *OTHARUM VENDILKRAKI* & Daniæ Regulum *SIVARDUM* (*c*), ac in eo Holmgardi a partibus Sveonum ſteterunt. Deinde, cum Dani in prælio ſuccubuiſſent, Holmgardi Sivardum, in Jutiam profugum, inſequuntur, ac poſt variam belli fortunam ipſum ſuperant. Tum integram Jutiam in ſuam redigunt poteſtatem, atque *JARMERICUM*, Sivardi filium, obſidis loco in Gardariciam

dariciam secum abducunt. Hunc autem Principem pro generis dignitate liberaliter educando atque amplissimis honoribus præficiendo, Visimarus anguem, aut si quid angue pejus detur, in proprio aluit sinu. Magis enim vindicta calamitatum Patriæ illatarum, quam acceptis beneficiis motus, ut adolevit, ipsum Visimarum subdole lacessivit, adeo ut, subditis domicilio flammis, illum omnesque ejus convivas, epulis & poculis hilarius ac securius, quam par fuit, indulgentes, triste involverit incendio. Nec contentus hanc peregisse ultionem, in imbellem quoque sexum sævire cœpit, Regisque Gardariciæ conjugem jugulandam curavit. Tandem in Jutiam se conferens, non solum Patriam Holmgardorum potentiæ exemit, verum etjam parti Gardariciæ sibi subjectæ gravissima imposuit tributa (*d*).

(*a*) His occupatis, Hunnorum & Gepidarum Duces *Huldinus* & *Sarus* Romanis contra *Radagaisum*, Gothorum immanissimum, auxilia tulisse perhibentur, vid. *REUTENFELSI libr. cit. p. m.* 32. (*b*) Hoc nomen Gothicum est, descendens a *Visir* Præfecto & *Mar* equo; unde *Visimar* denotat Præfectum equitatus. (*c*) Hunc e familia Skjoldensi, ex qua Reges Supremi in Dania olim creabantur, non fuisse, recte observat *TORFÆUS in Ser. Reg. Dan. p. m.* 325. (*d*) Confr. *MESSENII Scond. Illustr. Tom. I. p. m.* 23, 24, 45 & 46.

* * * * * * * * * * * * * * * *

Suecia
antiquitates